This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

Harvard College.
1864.



GP
8S
120

5.84

1993

Gp 83.120.



BOUGHT WITH

THE INCOME FROM THE

SUBSCRIPTION FUND

BEGUN IN 1858.

23 Jan. 1873.



DE
DUODECIM DEIS PLATONIS.

SCRIPSIT

(Franz) HENRICUS LUDOLFUS AHRENS.

UNEDIRTE
GRIECHISCHE UND RÖMISCHE
MÜNZEN,

BESCHRIEBEN UND ERLÄUTERT

VON

CARL LUDWIG GROTEFEND.

Mit zwei Steindrucktafeln.

(Zur Begrüssung der 23. Philologen-Versammlung im September 1864.)

HANNOVER.
HAHNSCHE HOFBUCHHANDLUNG.
1864.

G/c 83.120

1873, Jan. 23.
Subscription Funds

Druck von Fr. Culemann in Hannover.

DE
DUODECIM DEIS PLATONIS.

SCRIPSIT

HENRICUS LUDOLFUS AHRENS.

Qui scripsere de duodecim Graecorum deis [1]), multum tribuerunt ei catalogo, qui in scholiis Apollonianis ad B, 532 traditus est. Ubi ad poëtae verba, quibus Argonautae in ostio Ponti Euxini aram duodecim deorum condidisse narrantur, relatis quae Timosthenes et Herodorus de ara illa vel aris paullum discrepantia docuerant, vulgo haec leguntur: εἰσὶ δὲ οἱ δώδεκα θεοὶ οὗτοι Ζεύς, Ἥρα, Ποσειδῶν, Δημήτηρ, Ἀπόλλων, Ἄρτεμις, Ἄρης, Ἀφροδίτη, Ἑρμῆς, Ἀθηνᾶ, Ἥφαιστος, Ἑστία. Quod deorum collegium nullo nomine differt ab illo, quod Romae cultum esse compertum habemus quodque apud Graecos quoque in honore fuisse, et apud recentiores quidem vulgo, praeter Graecam Romanae illius religionis speciem e scriptorum et monumentorum testimoniis colligitur. At vulgata illa scholii Apolloniani lectio, quae fluxit ex editione principe Florentina a. 1496, quanquam conspirante codice Parisino nr. 2727 sec. XV (nisi quod hic ab initio „τὰ δὲ τῶν δώδεκα θεῶν ὀνόματά εἰσι ταῦτα"), parum fidei habet, quum illustrissimus codex Laurentianus XXXII, 9 (sec. X), judice Henrico Keilio scholiorum unicus fons genuinus, insignem in modum discedat, cujus lectionem, quam Keilius in scholiorum editione a. 1854 in lucem protraxit, valde dolemus etiam a Welckero, qui uti poterat, neglectam esse. Ibi locus ille in hunc modum scriptus legitur:

εἰσὶ δὲ οἱ δώδεκα θεοὶ οὗτοι Ζεύς, Ποσειδῶν, Ἅιδης, Ἑρμῆς, Ἥφαιστος, Ἀπόλλων, Δημήτηρ, Ἑστία, Ἄρης, Ἀφροδίτη καὶ Ἀθηνᾶ.

Pro duodecim deis undecim nominati sunt, cui vitio Keilius mederi conatus est inserendo post Ζεύς secundum vulgatam lectionem nomine Ἥρα. At priora sex nomina haud obscure duos deorum marium terniones efficiunt, alterum filiorum Croni, alterum filiorum Jovis, quem ordinem non licet interjecto deae nomine turbare. Tum facile apparet, quam suspectus sit Mars medius inter deas feminas positus, nec minus aegre quam Juno desideratur Diana, quae cum illa a collegio duodecim deorum nusquam abest[2]). Itaque vix dubito quin nomen Ἄρης ab aliquo, qui Martem deesse nollet, ante Ἀφροδίτη, quocum vulgo copulatur, additum sit, nominibus Ἥρα et Ἄρτεμις, quorum utrumque cum Ἄρης aliquid similitudinis habet, eodem loco casu elisis. Catalogum igitur illum scholiorum Laurentianorum in hos quatuor terniones restituimus:

A. Ζεύς Ποσειδῶν Ἅιδης, Croni filii.
B. Ἑρμῆς Ἥφαιστος Ἀπόλλων, Jovis filii.
C. Δημήτηρ Ἑστία Ἥρα, Croni filiae.
D. Ἄρτεμις Ἀφροδίτη Ἀθηνᾶ, Jovis filiae.

Primus ternio jam apud Homerum comparet Il. O, 187, tum primus et tertius, qui sunt Croni liberorum, apud Hesiodum Theog. 453 seqq., quum Homerus Ἑστίαν deam adeo ignorasse videatur. Nec latet, quam fuerit proclive illos Hesiodi terniones duobus alteris Jovis liberorum additis in collegium quoddam duodecim summorum deorum complere, praesertim quum Graecos numerum duodenarium in rebus et publicis et sacris valde dilexisse constet et ipsa Theogonia duodecim Titanes habeat, sex mares et sex feminas. Attamen tum fieri non poterat, quin inter Jovis liberos selectio quaedam iustitueretur. Qua Martem potissimum exclusum esse minus miraberis, ubi memineris a Sophocle eum ἀπότιμον ἐν θεοῖς θεόν appellari, Oed. r. 215. Nec desunt alia exempla ejusdem inter duodecim deos omissi, vid. Adn. 2. a. c. g. A vulgato duodecim deorum collegio hoc a nobis erutum, praeterquam quod

pro Marte Plutonem habet, etiam eo differt, quod dei deaeque non in paria sunt conjuncti, sed in terniones dispositi. Quanquam etiam hic sex paria componi possunt; sed nolumus in hoc morari.

Duodecim deos aeque per terniones dispositos, duos marium et alteros duos feminarum, in clarissimo illo Phaedri Platonici loco, qui ad duodecim deos pertinet, agnoscit Hermias, vetus interpres[3]), primo ternione Ζεὺς Ποσειδῶν Πλούτων nominatim posito, unde colligi posse videtur, eum fere ne in reliquis quidem nominibus a catalogo illo scholii Apolloniani, qualem restituimus, discessurum fuisse. Bonis autem auctoribus Hermiam usum esse inde intelligitur, quod a Platone inter duodecim deos contra vulgarem opinionem etiam Plutonem numeratum esse statuit. Hunc enim ipse Plato in Legibus diserte tanquam unum ex illo collegio nominat[4]), quem quum suo arbitrio id fecisse viri doctissimi Petersenius p. 20 et Welckerus p. 167. 168 judicaverint, et hic quidem cum reprehensione quadam *(„dass in den Platonischen Gesetzen Pluton unter die zwölf eingeschwärzt wird“)*, vindicatur ab ea insimulatione, etiamsi Hermiae nihil tribuas, scholio illo Apolloniano. Huius enim auctorem Plutonem Platoni acceptum referre, vix quisquam erit qui suspicari audeat. Quoniam vero et scholiasta ille et Hermias, quum Plutonem inter duodecim deos ponunt, dispositionem illam per terniones secundum genus et sexum factam sequuntur, haud temere judicaveris eandem Platoni in libris de Legibus obversatam esse. Eundem vero in Phaedro non idem deorum collegium in mente habuisse vix licet ponere nisi propter certiora, quae nulla sunt, argumenta. Describitur autem in Phaedro[5]) Jupiter deorum daemonumque exercitum educens in undecim cohortes divisum, quibus praeter Vestam domi remanentem reliqui duodecim deorum praesunt. Quae Hermias ita accepit, ut duos Ioves distingueret, alterum summum totius exercitus ducem, alterum uni ex cohortibus praefectum[6]).

Qua interpretatione ut aliena a Platonicae doctrinae ingenio recte rejecta Welckerus p. 166 finxit Jovem e Platonis sententia summi ducis vice fungi neque ipsum uni ex undecim cohortibus praeesse; nihil sollicitum fuisse Platonem, qui deus pro Jove exempto inter duodecim deos asciscerétur. At viro egregio ipse Plato apertissime refragatur, qui in singulis cohortibus describendis p. 252. C τοὺς Διὸς ὀπαδούς commemorat oppositos τοῖς Ἄρεως θεραπευταῖς et reliquorum deorum χορευταῖς, postea p. 253 B. iis ὅσοι μεθ' Ἥρας εἵποντο et τοῖς Ἀπόλλωνος. Unde apparet Platonem etiam Jovi unam ex cohortibus tribuisse. Nec video quid in ejus verbis insit, quod Jovem simul universi exercitus ducem et primae cohortis praefectum haberi vetet. Praeter Jovem et Vestam e duodecim deorum numero nominatim afferuntur Ἄρης, Ἥρα, Ἀπόλλων, quum a catalogo scholii Apolloniani secundum nostram emendationem Mars absit. Itaque si tenemus, id quod non potest non verisimile videri, Platonis duodecim deos esse illos in quatuor terniones filiorum et filiarum Croni et Jovis dispositos, necesse est pro Marte alium e Jovis filiis excludi, aut Mercurium aut Vulcanum. Sunt autem quibus credibile fiat inter duodecim deos a Platone agnitos Mercurium non fuisse, qui non solum propter ministerium, quo fungitur, et matrem Nympham augusto illo collegio indignus videri potuerit, sed etiam a Tzetze inter duodecim deos non recenseatur (Adn. 2. b) et in antiquissima, quae servata est, duodecim deorum si non commemoratione, tamen significatione, quam hymnus in Mercurium habet, ab illorum numero segregetur. Quum enim Mercurius ibi vs. 128 sacrificium in duodecim partes dividere narretur (ἔσχισε δώδεκα μοίρας), quod recte ad duodecim deos relatum est, apparet ipsum non haberi unum ex duodecim deis, cui argumentationi Welckerus p. 164 paullo plus tribuere debebat. De Platonis autem mente forsitan etiam ex ejusdem Cratylo suspicari liceat, ubi in interpretandis deorum

nominibus p. 401 seqq. a Vesta secundum antiquum sacrorum ritum incipiens primum Cronum et Rheam et obiter Oceanum Tethynque tanquam deorum originem commemorat, deinde tres fratres Jovem, Neptunum, Plutonem, tum nominat Cererem, Junonem, Apollinem, Minervam, Vulcanum, Martem, sed inter Junonem et Apollinem per interpositionem quandam agit de Proserpina, nec minus inter Apollinem et Minervam de Musis, Latona, Diana, Baccho, Venere, desinit autem in Mercurium, Iridem, Panem. Quo in ordine constituendo quum appareat quantum dignitati tributum sit, Mercurium a Platone inferiore loco habitum esse quam reliquos, qui in duodecim illorum numero censentur, vix negari posse videtur. Itaque Plato hunc duodecim deorum senatum agnovisse videtur:

A. Ζεύς Ποσειδῶν Πλούτων, Croni filii.
B. Ἄρης Ἥφαιστος Ἀπόλλων, Jovis filii.
C. Δημήτηρ Ἑστία Ἥρα, Croni filiae.
D. Ἄρτεμις Ἀφροδίτη Ἀθηνᾶ, Jovis filiae.

Suspicioni nostrae insigni subsidio est, quod Plato in Legibus, quum menses inter duodecim deos distribui jubet, ultimum anni mensem Plutoni assignat (Not. 4), h. e. eum mensem, qui novissimus est ante solstitium aestivum, post quod in republica sua anni initium fieri jubet, vid. Legg. VI, 767. C. Nam si ponimus reliquis diis a Platone eosdem menses destinatos esse, quibus secundum fontes Romanos praefecti sunt[1]), Plutoni solus ille mensis relinquitur, quem hic Mercurius habet, cujus loco in Platonis illo collegio Pluto est, reliquis diis nihil discrepantibus. Is vero est Junius, vel secundum Graecorum annum lunarem novissimus ille mensis ante solstitium aestivum. Vide quam egregie hinc confirmari videatur, inter Platonis duodecim deos et eos, qui vulgo numerantur, hoc discriminis intercedere, ut, quem locum inter hos Mercurius occupavit, eum inter illos Pluto teneat; deinde Platonem re vera, id quod antea posuimus, reliquos undecim menses iisdem

diis attribuisse, quibus in recentioribus fontibus adscribuntur. Itaque Plato menses anni sui post solstitium aestivum incipientis inter duodecim deos in hunc modum distribuisse videtur:

I.	Ζεύς A.	VII.	Ἥρα C.
II.	Δημήτηρ C.	VIII.	Ποσειδῶν A.
III.	Ἥφαιστος B.	IX.	Ἀθηνᾶ D.
IV.	Ἄρης B.	X.	Ἀφροδίτη D.
V.	Ἄρτεμις D.	XI.	Ἀπόλλων B.
VI.	Ἑστία C.	XII.	Πλούτων A.

Cuique deo sui ternionis signum cur addiderimus, jam apparebit. Conspicitur enim in ea ratione, qua duodecim dei ad menses relati sunt, notabile quoddam artificium, quod his potissimum rebus continetur:

1) Anni circulus incipit a Jove, deorum superorum principe, desinit in Plutonem, qui tanquam Ζεὺς καταχθόνιος illi vel maxime oppositus est. Unde simul intelligitur hanc mensium inter deos distributionem ab origine pertinuisse ad annum post solstitium aestivum incipientem.

2) Principes trimestrium dei ex quatuor ternionibus secundum horum seriem (ABCD) assumpti sunt.

3) Primi et ultimi trimestrium dei per terniones suos artificiosam quandam catenam efficiunt in hanc formam: AB — BC — CD — DA. Medii quique dei, si spectas terniones, uno loco sunt post ultimos.

4) Dei mensium in circulo anni inter se oppositorum vel in eo schemate, quod supra dedimus, appositorum in paria coeunt haec: 1. I. VII. Ζεύς Ἥρα, 2. II. VIII. Ποσειδῶν Δημήτηρ, 3. III. IX. Ἥφαιστος Ἀθηνᾶ, 4. IV. X. Ἄρης Ἀφροδίτη, 5. V. XI. Ἀπόλλων Ἄρτεμις, 6. VI. XII. Πλούτων Ἑστία. Itaque et Croni liberi inter se juncti sunt et Jovis. Plutonem cum Vesta compositum esse non mirum est, quum Ἑστία vel Vesta multis testantibus terrae dea esse credita sit, vid. *Welcker Götterl.* II, 698. Neque enim

aliter apud Hesiodum Opp. 465 Ζεὺς χθόνιος et Δημήτηρ juncti sunt, in Alcmaeonide (Et. Gud. 227, 37) Ζαγρεύς, i. e. Pluto, et Γῆ, Hermionae vero Κλύμενος et Κλυμένη, cf. Welck. II, 488. De reliquis paribus satis constat.

Omnia fere illa ordinis artificia absunt duodecim deis vulgaribus, inter quos pro Plutone Mercurius est, ad menses relatis, nisi quod etiam hic oppositorum mensium dei paria efficiunt, eaque eadem, quae in clarissima ara Borghesiana conspiciuntur. Quorum quum quinque congruant cum iis, quae modo indicavimus, pro Plutone et Vesta hic potius Mercurius et Vesta juncti sunt, filius Jovis cum filia Croni, id quod contra reliquorum parium analogiam peccat. Quae cum ita sint, satis probabiliter statui videtur, prius factum esse ut menses artificiosa dispositione attribuerentur illi duodecim deorum collegio per terniones disposito, postea autem Mercurio in Plutonis locum recepto ea dispositio turbaretur. Unde simul colligi posse videtur illam collegii formam antiquiorem esse, Mercurium vero pro Plutone recentius inter duodecim deos ascitum. Eodem pertinet, quod quatuor illi terniones, ut antea indicavimus, unicum ternionem Homericum, duos Hesiodeos legitima quadam successione exceperunt; deinde quod hymnus in Mercurium in antiquissima illa duodecim deorum significatione hunc deum ab eorum coetu segregat.

Si Hermiam audimus, Plato duodecim deos suos ex ipsa Attica religione sumpsit (N. 3). Attamen Petersenius et Welckerus non temere agere videntur, quum pro certo affirmant, duodecim deos Athenis cultos nihil diversos esse ab iis, qui Romae in honore erant[8]); nec probabile videtur Athenis potius Plutonem in eo numero habitum esse, cujus ab Atheniensibus culti ne ullum quidem vestigium extat, quam Mercurium, qui constat quanto in honore ab illis habitus sit. Denique ipse Plato, quum in loco Legum supra allato (N. 4) Plutonis cultum neglectum vituperat, innuere videtur Plutonem a se contra vulgarem

Atheniensium opinionem duodecim deis accensum esse. Pythagoreos potius illum secutum esse forsitan aliquis inde suspicetur, quod in Phaedri loco gravia quaedam e Philolai doctrina manasse Boeckhius docuit, vid. Boeckh. Philol. p. 104. At neque duodecim mundi partes a Philolao distinctae cum duodecim deis praeter nomina quaedam quidquam commune habent, neque in Pythagoreorum doctrina duodecim deos aliquid momenti habuisse cognitum est. Atque sunt quae indicent Platonem, quem constat in republica sua constituenda multa e Cretensium institutis adrogasse, iisdem debere duodecim deos suos ab Atticis paullulum diversos. Ut consentitur fere narrationes de Croni et Rheae conjugio atque progenie e Creta transmanasse, ita non male olim Boettigerus *Kunstmyth.* I, 217 duodecim Graecorum deos quasi Creticorum deorum familiam *(„kretensische Götterdynastie")* habendam esse iudicavit, quod quum de vulgari illa dodecade dictum sit, etiam melius convenit antiquiori illi, quae Plutonem pro Mercurio habet. Et quum duodecim deorum cultus Athenis a Solone institutus esse videatur[9]), constat e Plutarcho Sol. c. 12 hunc de rebus sacris Epimenidis potissimum Cretensis consiliis usum esse. Licet autem suspicari, Solonem inter duodecim deos Athenas translatos Mercurium pro Plutone posuisse, quod ille in Attica praecipuo honore haberetur, hic nullo; adde quod Plutone sublato dodecas τῶν οὐρανίων θεῶν restituta est et quod Ἑρμῆς χθόνιος quasi per euphemismum quendam in Plutonis locum substitutus videri potest. Nec nihil valet in eandem partem, quod mensium ex Platonis mente inter deos distributorum apud Cretenses prae aliis Graecis insignia vestigia reperiuntur[10], Creticum enim illud calendarium, quod in Hemerologio Florentino servatum est (cf. *Hermann Monatsk.* p. 98), quanquam singularum urbium Creticarum menses, quicunque innotuere, omnes in diversa abeunt, nihilominus antiquam originem prae se fert. Habet autem hos menses solares:

I. Μετάρχιος	II. Ἄγνιος	III. Διόσκουρος
IV. Θεοδαίσιος	V. Πόντος	VI. Ῥαβίνθιος
VII. Ὑπερβέρετος	VIII. Νεκύσιος	IX. Βασίλιος
X. Θεσμοφοριών	XI. Ἑρμαῖος	XII. Ειμαν.

Quorum quum primus die XXIV. mensis Decembris incipiat, cum Romanorum Januario comparari potest, sequens duodetriginta dierum cum Februario etc. Apparebit autem menses, ut saepe factum est, a genuinis sedibus aliquantulum progressos esse, idque duorum mensium spatio. Quo igitur melius cum Platonis mensibus comparari possint, simul initio anni post solstitium aestivum translato et mense quoque in tertium locum remoto, hunc potius ordinem ponamus:

I. Βασίλιος	VII. Διόσκουρος
II. Θεσμοφοριών	VIII. Θεοδαίσιος
III. Ἑρμαῖος	IX. Πόντος
IV. Ειμαν	X. Ῥαβίνθιος
V. Μετάρχιος	XI. Ὑπερβέρετος
VI. Ἄγνιος	XII. Νεκύσιος.

Quatuor inter hos sunt menses continui, quos primo fere obtutu apparet iisdem diis dicatos esse, quibus menses iisdem locis positos a Platone adscriptos fuisse docere conati sumus. Mensem enim undecimum Ὑπερβέρετον ad Apollinem Hyperboreum pertinere intellexit Hermannus *Monatsk.* p. 80. Deinceps Νεκύσιος, a festo Νεκύσια dictus, nulli deo melius convenire videtur quam Plutoni. Possunt sane Νεκύσια etiam Ἑρμοῦ χθονίου esse, cf. Bergk *Beitr. z. Monatsk.* p. 48 seqq.; sed quum inter menses illos Creticos alius Ἑρμαῖος reperiatur, Νεκύσιον ad ipsum inferorum regem referre praestat. Tum primus mensis Βασίλιος (rectius Βασίλειος) aperte est Διὸς Βασιλέως (Herm. p. 49) et secundus Θεσμοφοριών[11]) etiam apertius Δήμητρος Θεσμοφόρου. Adde quod etiam decimus mensis eidem Veneri

sacratus videtur atque in vulgata (et Platonica) distributione. Bene enim Hermannus intellexit Ῥαβίνθιος secundum dialectum pro ἐρεβίνθιος esse. Iam festum Ῥαβίνθια = Ἐρεβίνθια, unde mensi nomen, appellatum videtur a more eius simili, quo Romae Floralibus, ipso mense Aprili exeunte celebratis, cicera inter populum projici solebant, vid. Preller R. Myth. p. 381. Haec vero Floralia festum aliquod Graecum Ἀφροδίτης ἐν κήποις imitata esse idem Prellerus p. 135 probabiliter suspicatus est[12]).

Hic tantus consensus primum satis firmare videtur menses calendarii illius Cretici, id quod posuimus, duobus locis promotos esse[13]), tum indicium quoddam haberi potest, omnem illam mensium inter duodecim deos distributionem et eam potissimum, quae Plutonem continet, e Creta manasse. Cujus rei non leve argumentum praeterea in eo positum est, quod primus post solstitium aestivum mensis, qui alias naturae convenienter ad Solem relatus est[14]), et in illa distributione et in calendario Cretico ad genuinam formam revocato Jovis est, quum hic in Creta potissimum a Sole non diversus esse existimatus sit, vid. *Preller Gr. Myth.* I, 105; *Welcker* II, 265[15]).

Neque valde suspicioni nostrae obest, quod e reliquis calendarii Cretici mensibus unus, tertium dico Ἑρμαῖον, apertissime deum prae se fert a consensu illo alienum, tres vero alii prima certe specie in diversa abire videntur[16]), tribus quae restant nominibus ita comparatis, unde de deis tutelaribus nihil effici posse videatur[17]). Licet enim suspicari calendarium illud, quum olim cum Platonica, quam posuimus, doctrina totum conspirasset, postea per longam annorum seriem in eam formam mutatum esse, quae nunc extat, nisi forte existimare mavis, theologos Creticos, quibus Plato auctoribus usus sit, antiquas mensium in Creta religiones partim in usum suum convertisse, non omnium. Neque vero suspicionem nostram de Cretica

origine pro certa venditamus; effecisse autem nobis videmur, ut haec probabilia videri possint:

1) Plato, quum Plutonem inter duodecim deos numerat eique ultimum anni mensem tribuit, illorum collegium per quatuor terniones filiorum et filiarum Croni et Jovis dispositum mente complexus est. Ternio filiorum Jovis Mercurio caruisse videtur. Eadem collegii forma, nisi quod pro Mercurio potius Mars abest, conspicitur in catalogo scholii Apolloniani a nobis restituti. Sunt tamen quae alteram formam Mercurio carentem antiquiorem haberi jubeant.

2) Utique collegii duodecim deorum forma quatuor terniones secundum genus et sexum distinctos complectens, cui praeiverunt unus ternio Homeri, duo Hesiodi, antiquior est quam vulgaris et reliquae, quae cum hac Plutone carent. Illa post Theogoniam Hesiodeam et ante hymnum in Mercurium a theologis inventa est.

3) Suspicari licet in mensibus inter deos distribuendis et collegio duodecim deorum constituendo orientalium populorum morem [18]) Graecis exemplo fuisse, quanquam hi facile ipsi in similia incidere poterant. Minime vero illud collegium Graecis deorum nominibus substitutis a peregrino aliquo populo in eum modum assumptum est, quo e Graecia ad Romanos transmigravit, sed e Graecis initiis paullatim procrevit.

4) Neque dei singulorum mensium praesides in duodecim deorum collegium collecti sunt, sed dodecas, quum nulla mensium ratione habita constituta esset, postea artificiosa distributione ad menses adhibita est.

5) In ea re antiquis mensium religionibus id datum est, ut pars mensium iis deis attribueretur, quibus jam antea sacris ritibus conjuncti fuissent [19]), reliquis secundum subtiliores quasdam leges ad ceteros collegii deos relatis.

6) Ut Plato in republica sua duodecim deos suo quemque mense coli voluit, ita fortasse ante illum in Creta alicubi mensium religiones secundum duodecim deos constitutae erant. Alibi propter duodecim deorum religionem in mensium ritibus sacris vel nominibus aliquid novatum esse, nullo certiore indicio arguitur.

Adnotationes.

1) Praecipue commemorandi sunt: *E. Gerhard, Über die zwölf Götter Griechenlands (Abh. d. Berl. Acad. 1840. Hist.-phil. Cl.); Chr. Petersen, Das Zwölfgöttersystem bei den Griechen (Progr. Hamburg 1853.); Welcker, Gr. Götterl. II, 163 ff.* (1859).

2) Collegii duodecim deorum formae uno pluribusve deis a vulgari traditione discedentes hae paullo certius cognoscuntur (deos conjectura suppletos uncinis circumsepsi):

a) Duodecim dei, quibus Hercules Olympiae sex aras posuisse ferebatur (τοῖς δώδεκα θεοῖς), teste Herodoro Scholl. Pind. Ol. V, 10 (cf. Not. 3) hi erant: 1. 2. Ζεύς Ποσειδῶν, 3. 4. Ἥρα Ἀθηνᾶ, 5. 6. Ἑρμῆς Ἀπόλλων, 7. 8. Χάριτες Διόνυσος, 9. 10. Ἄρτεμις Ἀλφειός, 11. 12. Κρόνος Ῥέα.

b) In Tzetzae Theogonia (ed. Bekker, *Abh. d. Berl. Acad.* 1840) vs. 360 sqq. tanquam οἱ δώδεκα θεοί vel δωδεκὰς τῶν οὐρανίων θεων hi dei enumerantur: 1. Ζεύς, 2. Ἀφροδίτη, 3. Ποσειδῶν, 4. Δημήτηρ, 5. Ἥρα, 6. Ἥβη, 7. Ἥφαιστος, 8. Ἄρης, 9. Λητώ, 10. Ἀπόλλων, 11. Ἄρτεμις, 12. Ἀθηνᾶ. Diserte additur Ἑρμῆν et Ἶριν nuntios deorum esse, non deos, Κρόνον vero et Ῥέαν et Αἰδην Titanes. Hic catalogus vulgo neglectus est.

c) In basi Iovis Olympii Phidiani teste Pausania V, 11, 3, ut egregie docuit Brunnius *Griech. Künstl.* I, 174 Schubarto in editione novissima obsequente, Venerem, cujus inter deos receptio repraesentabatur, cum Cupidine et Suadela in medio positam cingebant duodecim dei in sex paria compositi: 1. 2. Ζεύς Ἥρα, 3. 4. [Ἥφαιστος] Χάρις, 5. 6. Ἑρμῆς Ἑστία, 7. 8. Ἀπόλλων Ἄρτεμις, 9. 10. Ἀθηνᾶ Ἡρακλῆς, 11. 12. Ἀμφιτρίτη Ποσειδῶν. Claudebant ab altera parte Sol, ab altera Luna.

d) In clarissimo vase Ergotimi et Clitiae (*Mon. ined. del Inst. Arch.* IV, pl. LIV—LVII, cf. *Braun Annal.* XX, 306 seqq. et *Gerhard* Ephem. Arch. 1850 nr. 23) haec deorum dodecas adscriptis nominibus conspicitur: 1. 2. Ζεύς Ἥρα, 3. 4. Ποσειδῶν Ἀμφιτρίτη, 5. 6. Ἄρης Ἀφροδίτη, 7. 8. [Ἀπόλλων Ἄρτεμις], 9. 10. [Ἡρακλῆς Ἀθηνᾶ], 11. 12. Ἑρμῆς Μαῖα. Qui quum sex curribus ad Thetidis nuptias vehantur, septimus currus sponsae parentes Nereum et Doridem, honoris causa illis additos, habuisse videtur. Vulcanus, Ceres, Vesta alia loca tenent.

e) Puteal Capitolinum (*Wieseler Denkm. d. alt. Kunst II, nr.* 197.) ab altera parte haec quatuor deorum paria habet: 1. 2. Ζεύς Ἥρα, 3. 4. Ἀθηνᾶ Ἡρακλῆς, 5. 6. Ἀπόλλων Ἄρτεμις, 7. 8. Ἄρης Ἀφροδίτη, quibus obviam veniunt 9. Ἥφαιστος, 10. Ποσειδῶν, 11. 12. Ἑρμῆς Ἑστία. Hanc ultimam figuram rectius Themidem haberi, nuper docere studui.

f) In ara Capitolina (*Mus. Capit.* IV, 8; *Millin Gall. Myth.* V, 19) Iovem sedentem circumstant undecim dei, quatuor mares et septem feminae. Ex vulgaribus duodecim deis deest Neptunus, pro quo Hebe addita. Singularum tamen figurarum interpretatio incertior est.

g) Aram Albanam quadratam (*Welcker A. Denkm. II, nr.* 1 *et p.* 14 *sqq.*), cujus unum latus periit, olim duodecim deorum figuras habuisse, quum nunc octo superstites sint, et nuptias Iovis cum Iunone exhibere satis certum est. Nuper in dissertatione de dea Themide I, p. 51 probare conatus sum integrum opus hos deos habuisse: [1. Ἑστία, 2. Ἀφροδίτη, 3. Ἀπόλλων,] 4. Ἄρτεμις, 5. Θέμις, 6. Ζεύς, 7. Ἥρα, 8. Ποσειδῶν, 9. Δημήτηρ, 10. Διόνυσος, 11. Ἑρμῆς, [12. Ἀθηνᾶ]. Inter servatas figuras fere non dubitatum est nisi de ea, quae est ante Iovem.

h) In vase quodam Volcentino, quod Gerhardus cum dissertatione sua de duodecim deis edidit Tab. IV, nr. 3. 4, interprete eodem hi duodecim dei conspiciuntur: 1. *Minerva*, 2. *Iupiter*, 3. *Iuno*, 4. *Mercurius*, 5. *Bacchus*, 6. 7. *Dioscuri*, 8. *Mars*, 9. *Apollo*, 10. *Diana*, 11. *Fortuna*, 12. *Neptunus*. Hunc tamen Wieselerus meus potius Herculem esse affirmat. Selectio et ordo deorum aperte Italicas religiones sapiunt.

3) Herm. ad Phaedr. p. 134 Ast. διαιροῦνται δὲ οἱ δώδεκα οὗτοι εἰς ἓξ ἄρρενας καὶ ἓξ θηλείας· οὕτω γὰρ καὶ ἐν Ὀλυμπίᾳ ἐτιμῶντο ἓξ ἔχοντες βωμοὺς κατὰ δυάδα τιμώμενοι. ταῦτα δὲ καὶ ὡς ἀπὸ

τῶν πατρίων τῶν Ἀττικῶν λέγει ὁ φιλόσοφος· καὶ τῶν ἐξ ἀρρένων οἱ μὲν τρεῖς εἰσὶ δημιουργικοί, οἱ δὲ τρεῖς φρουρητικοί, τῶν δὲ ἐξ θηλειῶν αἱ μὲν τρεῖς ζωογόνιοι, αἱ δὲ τρεῖς ἐπιστρεπτικαί. Antea primi terniones dei, οἱ δημιουργικοί, dicuntur οἱ τὸ εἶναι παρέχοντες et eo referuntur Ζεύς, Ποσειδῶν, Πλούτων, cf. Not. 6.

4) Plat. Legg. VIII, 828 B. ὁ μὲν γὰρ δὴ νόμος ἐρεῖ δώδεκα μὲν ἑορτὰς εἶναι τοῖς δώδεκα θεοῖς, ὧν ἂν ἡ φυλὴ ἑκάστη ἐπώνυμος ᾖ, θύοντας τούτων ἑκάστοις ἔμμηνα ἱερά — ἔτι δὲ καὶ τὸ τῶν χθονίων καὶ ὅσους αὖ θεοὺς οὐρανίους ἐπονομαστέον καὶ τὸ τῶν τούτοις ἑπομένων οὐ ξυμμικτέον, ἀλλὰ χωριστέον ἐν τῷ τοῦ Πλούτωνος μηνὶ τῷ δωδεκάτῳ κατὰ τὸν νόμον ἀποδιδόντας, καὶ οὐ δυσχεραντέον πολεμικοῖς ἀνθρώποις τὸν τοιοῦτον θεόν, ἀλλὰ τιμητέον ὡς ὄντα ἀεὶ τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει ἄριστον.

5) Plat. Phaedr. 246 E. ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς ἐλαύνων πτηνὸν ἅρμα πρῶτος πορεύεται, διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος· τῷ δ' ἕπεται στρατιὰ θεῶν τε καὶ δαιμόνων κατὰ ἑνδεκα μέρη κεκοσμημένη. μένει γὰρ Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη. τῶν δὲ ἄλλων ὅσοι ἐν τῷ τῶν δώδεκα ἀριθμῷ τεταγμένοι θεοὶ ἄρχοντες ἡγοῦνται κατὰ τάξιν ἣν ἕκαστος ἐτάχθη.

6) Herm. in Phaedr. p. 134. μετὰ τὴν μονάδα τὴν δημιουργικήν, τὸν ἕνα καὶ ἐξῃρημένον Δία, τρεῖς εἰσὶ Δίες, Ζεὺς Ποσειδῶν Πλούτων — ἕκαστος δὲ τούτων τῶν τριῶν τέσσαρας ὑφ' ἑαυτὸν ἔχει θεούς, τὸν μέν τινα τὸ εἶναι παρέχοντα, τὸν δὲ ζῆν, τὸν δὲ φρουρᾶς καὶ τῆς ἀτρέπτου μονῆς, φρουρητικόν τινα θεόν, τὸν δὲ τῆς ἐπιστροφῆς καὶ τοῦ τὰ προϊόντα ἐπὶ τὰς οἰκείας ἀρχὰς ἀνατείνεσθαι αἴτιον. Quatuor igitur dicit deorum terniones esse, quorum primus οἱ τὸ εἶναι παρέχοντες Ζεὺς Ποσειδῶν Πλούτων, cf. Not. 3.

7) In calendario Farnesiano (Orelli Inscr. II, p. 380) cuique mensi adscriptum est, qui deus ejus tutelam habeat:

Ianuarius — *Iuno*	Iulius — *Iupiter*
Februarius — *Neptunus*	Augustus — *Ceres*
Martius — *Minerva*	September — *Vulcanus*
Aprilis — *Venus*	October — *Mars*
Majus — *Apollo*	November — *Diana*
Iunius — *Mercurius*	December — *Vesta.*

Manilius Astron. II, 439 seqq. duodecim deos cum signis zodiaci composuit; cum iisdem illorum insignia juncta sunt in cylindro Bor-

ghesiano (Visconti Mon. Gab. T. 16. 17). Quae conspirant cum calendario Farnesiano, si pro quoque signo illum mensem ponas, quo sol in illud intrat, ut Minervae sunt mensis Martius et signum arietis. Plura vide apud L. Lerschium *Jahrb. d. Vereins v. Alterthumsfr. in den Rheinl.* IV, 151 et Petersenium p. 46.

8) Plurimum in eam rem mihi facere videtur Dionysii Halicarnassensis narratio (Antt. 7, 72) in pompa non multo post exactos reges Romae ducta imagines fuisse Διὸς καὶ Ἥρας καὶ Ἀθηνᾶς καὶ Ποσειδῶνος καὶ τῶν ἄλλων, οὓς Ἕλληνες ἐν τοῖς δώδεκα θεοῖς ἀριθμοῦσιν. Quocum comparanti, quod teste Livio 22, 10 in lectisternio a. 535 instituto duodecim dei hunc ordinem habuerunt: *Iupiter Iuno, Neptunus Minerva, Mars Venus, Apollo Diana, Vulcanus Vesta, Mercurius Ceres*, dubitari non posse videtur, quin Dionysius eosdem duodecim deos intellexerit, praesertim quum alias inter duodecim deos Neptunus potius cum Cerere junctus sit, Minerva cum Vulcano. Illos vero Dionysium Graecorum duodecim deis aequaturum fuisse, si in ipsa Graeciae principe urbe collegium vel uno deo diversum cultum esset, parum credibile videtur.

9) Collegit hoc Welckerus p. 165 ex titulo Salaminio obscuriore C. I. nr. 452 „Σαλαμίνιοι τειχως (*sic*) δώδεκα θεοῖς Σόλωνος", quo duodecim deos Soloneos dici putat. Errore factum est, quod etiam in nr. 451 Solonis duodecim deos commemorari tradit.

10) Bergkius assentiente Prellero olim affirmavit Graecorum mensibus cum collegio duodecim deorum nihil commune esse („*kein Verhältniss zwischen dem Kalender der Griechen, den Monatsnamen und dem Systeme der zwölf Götter*"), vid. *Verh. d. neunten Versamml. deutscher Philol.* (1846) p. 54. At praeter Creticum calendarium etiam alibi quaedam cum vulgata mensium inter duodecim deos distributione consentientia reperiuntur, quae aegre e casu aliquo repetas. Athenis Gamelion, septimus post solstitium aestivum mensis, teste Hesychio erat ὁ τῶν μηνῶν τῆς Ἥρας ἱερός, undecimus Thargelion eodem auctore ἱερὸς τοῦ Ἀπόλλωνος, quem constat religione et cultu Apollinis refertum fuisse; Hecatombaeon vero, quanquam ad Apollinem relatus (Not. 14), nihilominus ipso nomine etiam cum Iove conjunctus est, vid. Not. 15. Ex mensibus Ionicis praeter Thargelionem Apollineum primum huc pertinet Deliorum et Teniorum Βουφονιών, primus post solstitium aestivum mensis (vid. *Bergk Beitr.*

z. *Monatsk.* p. 45 et quae ipse disputavi Mus. Rhen. N. XVII, 359), qui Iovi vindicandus esse videtur, quum Βουφόνια Athenis, quanquam praecedente mense, Iovi fierent, tum Cyzicenorum et Olbiensium Καλαμαιών, antiquitus mensis decimus, ad Venerem pertinens, vid. Mus. Rhen. XVII, p. 335. De Spartanorum mensibus quum pauca certiora cognita sint, Phlyasium tamen, qui, quod οἱ χαρποί illo ἀκμάζειν referuntur, ultimus ante solstitium aestivum mensis habendus est, Mercurii fuisse hujus cognomen Φλυήσιος evincit (Herm. p. 112); eorundem primus mensis Ἑκατομβεύς, quum proxime Apollinem attingat (Not. 14), ne a Iove quidem alienus est (Not. 15). Similia quaedam in aliis Graecorum calendariis obvia, quum longiore argumentatione egeant, nunc quidem omitto.

11) Desideratur Dorica forma Θεσμοφόριος, quod etiam Rhodii mensis nomen est (vid. Corp. Inscr. III p. IV seqq.) incerto loco. Attica Thesmophoria Pyanepsione celebrabantur, i. e. mense quarto, Boeotica tamen auctore Xenophonte Hell. V, 2, 29 aestate, quod cum Cretici Thesmophorii genuino loco conciliari potest.

12) Nuper Mus. Rhen. N. XVII, 356. Rhabinthium et Ephesiorum Galinthionem a me inventum, quod nomen ejusdem potestatis est, minus recte ad Hecaten retuli.

13) Aliud ejus rei indicium in Theodaesio positum est, qui ad Bacchum pertinere videtur, cf. Hesych. Θεοδαίσιος, Διόνυσος et Suid. (s. Ἀστυδρόμα) Θεοδαίσια, ἑορτὴ ἐν ᾗ ἐτίμων Διόνυσον καὶ τὰς Νύμφας. Conferas enim primum Sicyoniorum Δαίσιον cum Attico Anthesterione congruum (Plutarch. Arat. 53), tum hunc ipsum Atticum mensem Bacchi religioni vel maxime dicatum, qui post solstitium aestivum octavus est, cf. Mus. Rh. XVII, 341.

14) Ita Atticus Hecatombaeon, vid. Anecdd. Bekk. p. 247 et EtM. 321, 7. Ἑκατομβαιών· — ὠνομάσθη δὲ οὗτος, ἐπειδὴ ἱερός ἐστι τοῦ Ἀπόλλωνος· ὁ δὲ Ἀπόλλων ἥλιος εἶναι δοκεῖ (EtM. ἱερός ἐστι τῷ Ἡλίῳ). ὁ δὲ ἥλιος τούτῳ τῷ μηνὶ μέγαν ποιεῖ τὸν δρόμον. ἐκάλουν δέ οἱ παλαιοὶ τὸ μέγα ἀπὸ τοῦ ἑκατόν. Ad Apollinem ἑκατόμβαιον vel ἑκατόμβοιον nomen mensis refertur EtM. 321, 5. EtG. 175, 5; cf. Hesych. Ἑκατόμβαιος: ὁ Ἀπόλλων παρ' Ἀθηναίοις. Laconicum mensem Ἑκατομβεύς, qui aeque primus erat post solstitium aestivum, non minus Apollinis Solis fuisse, docent Hyacinthia Apollini Amyclaeo eo mense celebrata, quae haud obscure ad solis

cultum pertinent, cf. Welcker I, 474; Preller I, 197. Iam eodem traxeris calendarii Asianorum mensem Ἑκατόμβαιον (Herm. p. 85), qui ejusdem est loci; vide tamen Not. 15. Delphici anni primus mensis post solstitium aestivum est Ἀπελλαῖος, ab ipso Apolline nominatus, ut nuper docuit Kirchhoffius *Berl. Monatsb.* 1864 p. 134. Nec minus in calendario Seleuciae Piericae (Herm. p. 108) Ἀπελλαῖος olim potius Iulii locum tenuit, quum menses duobus locis promoti sint, vid. Mus. Rhen. XVII, 330. Romae mense Iulio ludi Apollinares celebrabantur. Alia e Graecis calendariis eodem pertinentia explicare longum est. Tum leo, in quod zodiaci signum eo mense sol intrat, secundum Chaldaeorum doctrinam solis domus habebatur, vid. *Movers Phoen.* I, 164. Et leo tanquam ardoris simulacrum apud Graecos et barbaros cum solis religione conjunctissimus, cf. Preller I, 356. 358; Lyd. de mens. I, 20 Διὸς σύμβολον ἀετός, Ἡλίου λέοντες, Ἄρεος λύκοι, Ἑρμοῦ δράκοντες, et de Aegyptiis Scholl. Arat. 152; Plutarch. Mor. 670 C; Macrob. Sat. I, 21. In Arabia leonis simulacrum pro Sole cultum fertur, vid. *Duncker A. Gesch.* I, 143.

15) Eodem pertinet Hesych. Ἑκατόμβαιος: ὁ Ἀπόλλων παρ' Ἀθηναίοις· καὶ Ζεὺς ἐν Γορτύνῃ καὶ παρὰ Καρσὶ (cod. παράκαρσι, unde L. Dindorfius et M. Schmidtius παρ' Ἀρκάσι, nescio an non recte) καὶ παρὰ Κρησίν. Apparet enim cognomen Ἑκατόμβαιος, quum ab initio solis cultum spectaret, a Cretensibus potissimum ad Iovem relatum esse, ab Atheniensibus cum mense Hecatombaeone ad Apollinem, neque aliter Spartanorum mensem Hecatombeum. Attamen etiam Ionicus Βουφονιών, primus post solstitium aestivum mensis, Iovi sacer fuisse videtur, vid. Not. 10. Credideris autem Βουφόνια et Ἑκατόμβαια ab hecatombis appellata ab origine non diversa fuisse et aeque ad solis cultum pertinuisse.

16) Sextus mensis Ἄγυιος (leg. Ἀγύειος, quod mensis Aetolici nomen nuper in Inscriptionibus Delphicis Wescheri et Foucarti comparuit) ab Hermanno p. 43 ad Apollinem Agyieum relatum est. Septimus Διόσκουρος Dioscuros prae se ferre videtur, cf. Herm. p. 56. Octavus Θεοδαίσιος (cod. Θεοδόσιος) Baccho sacer fuisse creditur, cf. Not. 13 et Preller I, 532, 5. Attamen, nisi longiore et subtiliore argumentatione abstinere mallem, Ἀγύειον ad Vestam trahi posse, Διόσκουρον ad Iunonem, Θεοδαίσιον ad Neptunum, fortasse alicui persuaderem.

17) Hujus generis est quartus mensis Ειμαν corrupto nomine, quod Hermannus *G. A.* §§. 67, 35 in Ἰμάλιος mutari jussit; vix tamen difficilius Ἐνυάλιος restitui potest, ut mensis vulgari doctrinae convenienter Martis sit. Deinde quintus mensis Μετάρχιος, calendarii, ut traditum est, primus, cujus nomen Hermannus *Monatsk.* p. 70 ad mutatos magistratus probabiliter retulit; nunc comparari potest Doricae tetrapolis mensis Ἀρχοστάσιος, e Wescheri et Foucarti Inscriptionibus Delphicis nr. 365 nuper cognitus, qui ab instituendis magistratibus nominatus. Postremo nonus mensis Πόντος nomine, ut videtur, paullulum corrupto, quem nuper (*Orient u. Occident* II, 21) indicavi cum religione Minervae conjunctum videri, cui idem nonus mensis vulgo tribuitur.

18) Ab Aegyptiis primis duodecim deos nominibus distinctos et hinc in Graeciam translatos esse sacerdotes Aegyptii Herodoto affirmarunt Herod. 2, 4; idem 2, 82 tradit apud illos quemque mensem alicui deorum sacrum fuisse. Chaldaeos Diodorus 2, 30 testatur duodecim deos κυρίους agnovisse interque eos duodecim menses et duodecim zodiaci signa distribuisse. Persarum quoque menses ipsis nominibus ad deos relati sunt, septem ad Amschaspendos, summorum deorum collegium, quatuor ad quosdam ex Izedis, unus ad Ferveros (heroes), vid. *Benfey u. Stern Monatsnamen einiger alter Völker* p. 30. 62.

19) Huc pertinent (ut calendarium Creticum omittamus), quae Not. 10 congessimus, deinde, quum Iupiter tanquam solis deus primo mensi praefectus sit, etiam quae Not. 14. E Romanis mensibus Aprilis potissimum, decimus post solstitium aestivum mensis, commemorandus, Veneri sacer, vid. Mus. Rhen. XVII, 336, tum sextus December, dearum terrestrium (Bonae Deae, Telluris, Opis, Cereris) cultu insignis, vid. *Preller R. Myth.* p. 801. Praeterea quum Athena antiquitus dea lunaris fuerit (Welck. I, 305, cf. quae disputavi *Orient u. Occident* II, 21 seqq.), mensis nonus huic revera eadem religione dedicatus est, qua Artemisii vel Elaphebolionis nomine Artemidi (cf. *Or. u. Occ.* II, 20). Nec minus eum deum, unde Macedonicus mensis ejusdem loci Ξανδικός dictus, ab origine lunarem fuisse docui ibidem p. 4 seqq., qui quum Marti aequiparetur, ne Romanorum quidem Martius alienus est nec Bithynorum Ἄρειος, qui mensibus in genuinas sedes remotis et ipse tertius post brumam est, cf. ibid. p. 11. Ce-

